σuριγγῶδες. Itaque in vocabulo tam raro et paucissimis nolo homines eruditi ludebant, ut Cicero alicubi quum temere vocabuli originem finxisset suaviter addit: »*lusisse putemur, si nihil sit.*" Est idem genus praestigiarum, quo etiam nunc multi interpretes abutuntur. Magna dexteritate substituunt alteri alterum, deinde quasi sit idem quidvis ex quovis nullo negotio efficiunt. Στενυγρῶσαι, inquiunt, est συναγαγεῖν τῶν ὑγρῶν τὰς διεξόδους: hoc vero est ξηρᾶναι: ergo στενυγρῶσαι est ξηρᾶναι. Eodem modo eos audivimus dicentes: ὀργίσασθαι τοὺς χυμοὺς est οἷον εἰς ὀργὴν προτρέψαι, hoc vero est πρὸς ἔκκρισιν ἑτοιμάσαι: ergo ὀργίσασθαι nihil aliud est quam πρὸς ἔκκρισιν ἑτοιμάσαι. Non est hoc interpretari, sed de nihilo aliquid comminisci et ludere spretis et interpretandi legibus et Graecitatis usu. Sint igitur quamtumvis veteres et in media Graecia nati et docti, nos eorum auctoritatem iure aspernabimur et eorum testimoniis si sapimus nihil credemus.

Alias plura daturus nunc quidem Galeni Commentarios depono de manibus.

C. G. COBET.

(*Continuabitur*).

## IOHANNIS CHRYSOSTOMI LOCUS CORRECTUS.

In oratione Iohannis Chrysostomi *in laudem Pauli Apostoli* praemissa Hemsterhusii et Valckenaerii Orationibus selectis p. XLII. de Paulo haec leguntur: μή γάρ μοι πόλεις εἴπῃς καὶ ἔθνη καὶ βασιλεῖς καὶ στρατόπεδα καὶ ὅπλα καὶ χρήματα καὶ σατραπείας καὶ δυναστείας· οὐδὲ γὰρ ἀράχνην ταῦτα εἶναι ἐνόμισεν. Ultima vetus Interpres Ananius ita vertit: *Haec enim ille aranearum fila reputavit*, et aliquid de aranearum telis Editor annotavit. Non memini me videre bestiolam molestiorem quam haec est apud Chrysostomum *aranea*. Quamquam οὐδὲ pro καί accipitur et ἀράχνης pro ἀράχνια tamen sententia exit absurda. Si coniecturas non reformidas lege mecum: οὐδὲ γὰρ ἀρχὴν ταῦτα εἶναι ἐνόμισεν.

C. G. C.